

III.
NEOVIDENSIS

Nro 21. (Neovidensis Nro 44.)

Secretum litterarum commercium vivos
inter ac mortuos.

*Ben. Kiber Cabbalista salutem dicit suo in
Elysio Magistro Abukibakio.*

Ex mundo superiore.

Die Martis 12 Junii 1804. (Neov. 29 Maji.)

Sapientissime artis Cabbalisticæ, hujus tam
abditæ scientiæ scrutator, mi Magister Abu-
kibaki! Ego quidem omnes tuæ arcanæ sci-
entiæ regulas observavi, ut seriem mutatio-
num temporum expiscarer; sed, o magni
consilii Vir! o perspicacissime Abukibaki! quid
sunt ista, comparate ad magnitudinem tuæ
scientiæ? Tuum nomen jam Marchio Argen-
tinus in suis Cabbalisticis epistolis æternitati
consecravit, etiam ego, tanquam tuus di-
scipulus, tuæ præstantis doctrinæ eviden-
tiam sum expertus; ausim ergo meas caba-
listicas observationes, quas in solitudine, re-
motis arbitris, inde a 14 annis feci, tibi ob-
oculos ponere. Illustrissime Abukibaki! ape-

ri curiositatis fenestram in palatio æternitatis, & secundis auribus accipe, quæ narrabo.

Omnes fere Provinciæ, & Regna in Europa gravibus jactatæ sunt rerum conversionibus, & tametsi ejusmodi violentæ eversiones semper sanguinolentæ fuerint, populosque calamitatibus, & miseriis involverint, hi tamen horribiles casus posteritati non poterant persuadere, ut eosdem detestaretur, modumque quæreret, eos præcavendi.

Aperio Annales nationum; in his lego verissimum esse, omni revolutioni prævisse, neglectum legum, corruptelam morum, & malum exemplum eorum, qui ad clavum regni sedebant. A temporibus Henrici VIII. Regis Angliæ, qui malos mores inter populum disseminavit, Britanni perpetuis urbis intestinis implicabantur, donec tandem nova Dynastia domesticis motibus fesso populo in auxilium venisset, novumque rerum ordinem induxisset. Ludovico XIV successit Ludovicus XV in Gallia, & scelestâ promotio Pompaduræ, & Dubarriæ, corrumpit mores populi, atque paulo post secuta est revolutio.

Hæc a capite propagata morum corruptela invadit citius affectus juvenum, quam seniorum. Hinc illa inobedientia juvenum erga senes, hinc perturbatio ordinis domestici familiarum, hinc contemptus legum civilium, quas sanctius observari exigit felicitas civitatum.

Ad hanc ab altiori loco prolatam morum depravationem accessit abolitio virorum, qu

educandæ juventuti operam navabant, qui omni diligentia enitebantur, ut bonos mores, obedientiam, & subjectionem juventuti instillarent, Rectum ordinem, & veram virtutem sine intermissione docebant; inculcatæ contra morum illecebras præcautiones, & poenæ vitæ futuræ retinebant in freno infirmitas cupiditates. Je vitæ obviam ibant improbis affectibus, verum dissoluti sunt ab iis, qui populo, cui præerant, male vivendo pessimum dederant exemplum. Et qui, obsecro, illis substituti sunt, ut effrenatos reprimerent animorum motus? — Russovii placitis imbuti educatores; jamque parum aberat, ut non fuerint secundum normam a Russovio præscriptam proles in sylvis more barbarorum educatæ; ut nullæ iis ideæ seu de virtute, seu de vitio ingenerentur, ut sibi ipsis relinquuntur; ut omnis informatio inutilis habeatur, ut secundum solam naturam vivant, ut Cælos (*qui tunc plorabant*) tanquam aliquem nihil significantem fornicem spectent, & plura alia educationis monstra.

Hac ratione necessarium erat, ut vinculum societatum labefactaretur; hinc prodire scioli juvenes, qui consilia, & monita seniorum contemnebant, & ludibrio habebant; hinc enata est perturbatio rei familiaris, inversus ordo domesticus, periit obedientia, & superiorum existimatio. Juvenes philosophabantur secundum naturam, juxta quam vivere volebant, sed, proh dolor! corruptam naturam imitati sunt. Quid ad hanc omnis or-

dinis eversionem consecutum est? Revolutio, seu bellum juvenum contra senes.

Profecto, si revolutionem cum omnibus ejus adjunctis, & inde a principio usque ad hodiernam Imperatoriam dignitatem emergentibus circumstantiis secundum genuina acta publica consideremus, ex cunctis observationibus, & inquisitionibus apparebit, eam fuisse bellum juvenum contra senes.

Naturaliter juvenes majoribus pollent viribus, atque senes. Si itaque duo sibi opposita confligant principia — recentia, & antiqua, philosophica, & religiosa, necessario illa debent vincere, quæ majore pugnant fortitudine. — In hoc consistebat revolutio, hoc erat bellum juvenum contra senes.

O inconsideratos illos! qui antiqua principia prostraverunt, qui putabant se posse cum suo impio, & omnia comminente impetu regnare. Quot illi imperii formas tentarunt? Omnes Græcorum, & Romanorum imperandi epochas pervagati sunt. Et quo deinde progressi? illuc, quo Romani; illuc, ubi prius erant, & unde exierunt.

Quam subito hæc omnia mutata sint sapientissime, ac perspicacissime Abukibaki! legere est in novis Moguntinis de 27 Maji.

„Novus rerum ordo sufficitur antiquo, qui ipse paulo ante novus audiebat. Tanquam jussu oraculi paucas intra horas omnia mutata sunt, atque universa hæc magna, & definitiva facta cum tranquillitate, & silentio peracta sunt, ut si essent necessaria diutur-

ni, sanguinolenti, ac sumtuosi belli consecraria. Die 5. & 6. hujus mensis noster præsidiarius miles præsriptum dixit sacramentum. Hodie Napoleon proclamatus est solenniter Imperator Gallorum. Cras aperientur Protocollo, quibus, invitatus populus sua pro, vel contra hæreditariam Imperatoris successionem suffragia inferet, ut Senatus consulti voluntas, 20. elapsi mensis declarata impleatur. Hæc tamen protocollo cum 20. hujus iterum claudentur. „

Hodie primum finitis Divinis loco: *Domine salvum fac Consulem, & Domine salvam fac rempublicam,* bis decantatum est: *Domine salvum fac Imperatorem nostrum Napoleonem.* Tantæ molis erat gallicam terminare revolutionem!

Hæc nova rerum facies inducet etiam aliam in bello maritimo formam. Aulica enim Londinensia nova de 15. hujus confirmant, Pittium esse promotum ad primarii Ministri dignitatem. Magnus iste Politicus olim semper affirmabat, tamdiu cum Gallia non posse fieri pacem, quamdiu non fuerit stabile introductum imperium. Jam autem præsens hæreditaria Imperatoria dignitas summam promittit imperio Gallico firmitatem. Nam tantum Dynastia permutata est, nonnisi alia regnans familia priori surrogata est. Talis conversio obtinuit quondam etiam in Regno Angliæ. Quapropter cessant penitus motiva Pittii, ob quæ nolebat ad pacis conditiones descendere, & inconstantia regiminis Gallici evanescit, consolidaturque per hære-

ditariam successionem, more in aliis Europæis statibus recepto.

Et reipsa multi Anglorum opinantur, propediem a Pittio proponendas esse pacis condiciones. Iidem propugnant, hæc Gallorum molimina jam dudum in Anglia nota fuisse, Pittiumque ex his considerationibus in Ministerium esse assumptum, quia denique eo res deveniet, ut communis, & firma pax stabiliatur.

Jam fama volat, inter Galliam, & Hollandiam, item Galliam inter, & Italiam constitutum iri lineam Separationis, ut per id Gallorum Imperator reliquos per Europam Imperantes securos reddat, tam de restituendo æquilibrio, quam de tollendo metu redintegrandarum turbarum.

Hæc sunt principia, quæ Angliæ Politici, ut genus humanum consolentur, in medium adferunt. Omnia adhuc denso velo obducuntur. Tibi, excelse Abukibaki! perspectum est, quomodo nostra cabbalistica mysteria conserventur. — Quod porro adjiciam, non habeo, nisi, me fideliter tuam doctrinam sequi, esseque, & futurum tota animi contentione tuum discipulum. Vale.

Pro notitia Cabbalæ.

Cabbalistæ a Judæis per traditionem didicerunt illam scientiam, qua Moyses in monte Sinai fuit imbutus. Deinde in varia arcana delapsi sunt, volebantque jam hoc, jam illud scire. *Joannes Picus Mirandulanus*

extraxit copiam sententiarum ex libris cabalisticis, & luci publicæ commisit. Judæi defendunt, Raziem Angelum fuisse Magistrum Adami, cui tradidit librum, in quo divina scientia continebatur. Hi efformarunt dein sectam, quæ proprias habuit occultas positiones. Verum hæc somnia, quæ multarum vaticinationum origo erant, cum tempore evanuerunt.

Resolutio primi Problematis Nro. ii. propositi.

Universa hæreditas effecit 130000 fl.; numerata pecunia 125000 fl., Domus 5000 fl. Senior natu nepos erat 25 annorum; secundus 24. tertius 21. & ultimus 20. Senior natu accepit 25000 fl.; secundus $25000 + 5000 = 30000$ fl.; tertius $25000 + 2.5000 = 35000$ fl. & quartus $25000 + 3.5000 = 40000$ fl.

Demonstratio.

$$25.5000 = 125000; 25.1000 = 25000.$$

$$\text{Porro } \frac{\sqrt[3]{125000}}{2} = 25; 25 + 20 = 22 + 23$$

$$= 45, \text{ \& denique } 21^3 - 25 - 20 = 16.24^2. -$$

Hoc Problema rite resolverunt: J. L. Gaultier Saræponti, H*** in B*** & Vaiblingensis Christophorus Frid. Sixt.

PUBLICANDUM.

Marchio Asseretto jam tempore suæ commorationis Viennensis A. 1801, & 1802, falso sibi arrogaverat titulum Cæsareo-Regii Generalis, quapropter mandato suæ Re-

giæ Celsitudinis Ministri bellici post severam reprehensionem inhihitus est deferre vestem militarem.

At, postquam, uti officiosæ relationes docent, non tantum continuat idem factitare in extraneis Civitatibus, nominatim Constantinopoli, & Smyrnæ, sed etiam audet obtentu Cæsareo - Regii vestitus militaris tales suscipere actiones, quæ eum hoc honore indignum reddunt, etiamsi illi jure competeret; Hoc enim uti primi, conspicui, nobilissimique Civitatis viri summæ sibi ducunt gloriæ: ideo hæc usurpatio Asserettonis pro merita pœna publicatur, simulque omnibus Cæsaseo - Regiis militaribus jurisdictionibus severe præcipitur, ut, si eum tardius, aut citius iterum Cæsareo - Regium territorium ingredi contingeret, capiatur, vestitu militari privetur, & ab ulteriore ad ditiones suæ Cæsareo - Regiæ Majestatis accessu prohibeatur.

Omnes exterarum Provinciarum jurisdictiones, quarum ex rationibus politicis plurimum interest detegere peregrinos singulares prærogativas sibi per fraudem attribuentes, requiruntur, ut *Marchionem Asseretto*, ubi ubi in Cæsareo-Regio vestitu militari visus fuerit, comprehendant, eidemque vestem cum omnibus honorum insignibus adimant.

Hac de causa præsens publicatio omnibus extraneis ephemeridibus inseritur, & una ex pluribus ejusdem *Asseretto* turpibus, ac pœna dignis actionibus illa adjungitur, qua Cæsareo - Regium Smyrnensem Consulem modo indignissimo compulit, ut sibi litteras liberi commeatus secundum formulam a se præscriptam exararet. Viennæ 18. Maji 1804.

Ad speciale mandatum suæ Regiæ Celsitudinis Ministri bellici, Cæsareo - Regium bellicum Consilium.